



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 3. Nostro quoq[ue] sæculo esse Hypocritas, qui puniri, ac dedecore affici mereantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)



quit Isaias, qui beatificant populum istum, se- Isa. 9. 16  
ducentes: & qui beatificantur, precipitati. Pro-  
pter hoc super adolescentulis eius non latabitur  
Dominus: & pupillorum eius, & viduarum,  
non miserebitur: quia omnis hypocrita est, &  
nequam, & uniuersum os locutum est stulti-  
tiam.

## §. VI.

*Nostro quoque seculo esse Hypocritas, qui puni-  
ri, ac dedecore affici mereantur.*

Ante annos plus centum, vna religio  
Catholica totâ ferè Europâ celebrabatur;  
eam vix hæresis vlla infestabat; plena erant  
templa, monasteriaque, & consensu simul  
habitabant. Vbi autem libertatem carnis,  
& noua dogmata tonsus Apostata vulgavit,  
excisi sunt rami, folia leuia variarum do-  
ctrinarum ventis rapta sunt, quia tenui vi-  
culo tenebantur, pedunculos pruina suo  
frigore adusserat, matura erant naufragio  
Fidei pectora, refrigeratâ charitate. Sæcu-  
lares sibi videbantur legibus soluti, quia eas  
calcabant; licentiam amplexabantur, quia  
se numquam perituros stolidâ confidentiâ  
imaginabantur. Clerici plurimi, & religiosi  
tamquam ad Berecynthiæ tibiam, abiectâ  
pietate, violatis votis, magnis agminibus,



ad Veneris idolia conuolabant. Vnde tam subita mutatio? *Erant in nobis, non erant ex nobis.* Hypocritæ erant, id erant, quod se fuisse fatetur Lutherus, scortatores, sacrilegi. Vitia celerrimum sectæ incrementum attulerunt; captâ occasione, citò fecerunt, quæ dudum meditabantur. Vitia ad patrocinium suum profugerunt, non mirum placuisse hypocritis auctorem, qui metum peccatis demeret & pudorem. Errant, qui subitam apostasiam veritati & virtuti tribuunt: tentatio prostrauit, sed ruinæ suæ amantes. Licentiosa doctrina, blandus error, vitiorum prurigo calcæria addidit, sed currentibus, & sua sponte ad libidines adhinnientibus. Hos candidatos hæreseon, è Dei populo tentatio euomuit, & confusionis principes, principumque adiutores fecit satan: modica vexatio, quid lateret, aperuit: paruo sectum vulnere vlcus effudit saniem purulentam. *Lupus reclus pelle ouina, per vocem cognoscitur*, ait S. Chrysostomus, *& per agrum ouis balat inclinata deorsum; lupus ululat contra calum; hoc superbia illud humilitatis signum: ouis herbam manducat, lupus carnem.* Ita, quæ oues putabantur, cum pudore se esse lupos prodiderunt, exigua

S. Chryf.  
in cap. 7.  
Matthæi  
vel quis  
alius.

dit saniem purulentam. *Lupus reclus pelle ouina, per vocem cognoscitur*, ait S. Chrysostomus, *& per agrum ouis balat inclinata deorsum; lupus ululat contra calum; hoc superbia illud humilitatis signum: ouis herbam manducat, lupus carnem.* Ita, quæ oues putabantur, cum pudore se esse lupos prodiderunt, exigua



exigua oblata occasione. Adhuc honorarentur, si se se vt oues gererent, si vitia laterent; quæ vbi professi sunt, palàm ostenderunt, se antea quoque ignominia dignos fuisse, sed instrumenta nequitia suæ explicandæ defuisse. *Hi oues sunt habitu, inquit S. Bernardus, astu vulpes, actu & crudelitate lupi. Hi sunt qui boni videri, non esse; mali non videri, sed esse volunt. Mali sunt, & boni videri volunt, ne soli sint mali: mali videri timent, ne parum sint mali.* Aliquos, nostra quoque ætate latitare inter nos tales, valde credibile est, qui vt fortunas teneant, nouos dominos demereantur, mutaturi religionem, vendituri fidem, castra hostium, & suam iniquitatem, positâ larvâ, completuri sunt. Nobiscum versantur, ieiunant, orant, conciones adeunt, Sacramentis vtuntur; aliud hominum oculis dant; aliud in cordibus videt cuncta intuens Iudex. Vbi hostis floruerit; vbi Mars noster vacillauerit, vbi se aliqua species periculorum obiecerit; vbi veritas in angustum venerit; mox in ignominiam desinet simulata virtus; quia mox possidebit tremor hypocritas, & fidem lucris suis damnosam, sine conscientia, cum perfidia quæstiuosa commutabunt; & perdet hono-

S Bernardus sermo  
66. in  
Canticis



honorem suum scoria ab auro separata. Igitur his prætextu dumtaxat opus est, ut tales se ostendant, quales sunt. Corpora peccatorum sepulchra dicuntur mortuorum, quia anima mortua est in corpore peccatoris. Sicut ergo sepulchrum, quàm diu clausum est, ait os aureum, pulchrum videtur foris: si autem apertum fuerit, horribile est: sic & simulatores bonorum, quàm diu non cognoscuntur, laudabiles sunt, cùm autem cogniti fuerint, abominabiles. Quis faciet, ut cognoscantur? Tecta vultus est hypocrita, Quis reuelabit faciem indumenti eius? portas vultus eius quis aperiet? Dominus, qui est scrutator cordium, & tribulationis ventilabro purgat aream suam; tunc enim grana manent, stipulæ auolant.

S. Chryl.  
hom. 45.  
in Matth.

Iob. 41. 4.

§. IV.

*Bene credentes, sed malè fundati aduersis probantur; & agnoscuntur.*

Sunt alij, qui verbum Domini cum gaudio receperunt, in quibus vera fides, spes, charitasque studio virtutum, felici germine pietatis, expectationem perfectionis mouent; attamen radicem perseuerantiæ non habent, idcirco primo persecutionis exortu ardore tentationis exarescunt. Ad tempus credunt, quàm diu sine cruce Euangelio fruuntur.